DE

DIIS ROMANORUM PENATIBUS

QUÆSTIONES.

DISSERTATIO ACADEMICA

CUJUS PARTEM PRIOREM

VENIA AMPLISS. FACULT. PHILOS. UPSAL.

PRO GRADU PHILOSOPHICO

P. P.

JOANNES SVEDBORG

PHIL. CAND. VESTROG. STIP. JUNGBLAD.

vii

IN AUDITORIO ECCL. A. D. ~~X.~~ KAL. IUN MDCCCLVII.

H. p. m. s.

HOLMIÆ MDCCCLVII

TYPIS DESCRIPSIT E. WESTRELL.

IN SACRAM REGIAM MAJESTATEM

SUMMÆ FIDEI VIRO

HOLMIÆ URBIS GUBERNATORI SUPREMO

REG. ORD. DE STELLA POLARI CUM GRANDIORI CRUCE COMMENDATORI

REG. ORD. ENSIF. EQUITI.

ILLUSTRISSIMO COMITI **JACOPO ESSEN HAMILTON**

Hoc opusculum grata beneficiorum memoria dat dicat dedicat

AUCTOR.

DE

DIIS ROMANORUM PENATIBUS QUÆSTIONES.

Quemadmodum fit in omnibus fere populis, ut ad rerum divinarum normam conformentur ea, quæ agant homines, sic apud Romanos omnia, quæ ad vitam vel publicam vel privatam pertineant, cum Deorum cultu quam arctissime cohærere facile apparet. Quis est autem, qui non maxime sciat, jam inde a Romuli Remique avibus Romanorum hominum fuisse fere neminem, qui, sive obirentur munera reipublicæ gravissima, sive levissima quotidianæ vitæ negotia gererentur, suscipere auderet quidquam, nisi ita, ut antea religionibus certis operam dedisset? *) Et vero fuit apud eos ita comparata tota rerum divinarum ratio, ut ad usum

*) »Et si conferre volumus nostra cum externis, ceteris rebus aut pares aut etiam inferiores reperiemur, religione, id est cultu deorum, multo superiores.« Cic. N. D. II, 2. Præterea, si credat quispiam, hanc tantam religionis curam antiquæ fuisse superstitionis, quam scilicet delevisset recentiorum temporum melior sapientia, fallitur.

vitæ spectaret quam maxime et ad utilitatem. Quocirca non, Græcorum more, infinita deorum vi penitus cognoscenda, id nitebantur, ut evolveretur natura rerum humanarum ac tamquam in clariore luce poneretur: quumque in colendis diis speciem quandam pulchritudinis potissimum sequerentur illi, hi accuratissimo cæremoniarum apparatu nihil antiquius duxerunt. Et tamen diverso quasi itinere summum quiddam invenisse utrumque populum, non est difficile ad judicandum: quippe quod Græci perfectam illam atque absolutam rerum rationem assequerentur; qua continetur etiam illud, quod convenientia concentuque partium pulchri nomine rite appelletur: Romani autem, quærendo ea, quæ ad unamquamque rem accommodata essent et apta, quemadmodum hoc, quod vitæ datum est, traduceretur, optimam monstrarent viam. Quo factum est, ut hi legibus suis omnium semper gentium imperium tenerent, illi artibus litterisque. Abhorrebant autem ab Romanorum ingeniis studia doctrinæ: qui quum stoicorum fere more ea, quæ dura atque aspera essent, potissimum amplexarentur, administranda potius republica bellicisque virtutibus, quam mansuetiorum cura Musarum, gloriam quærebant. Nihil igitur magis consentaneum veritati, quam Sallustii illud: »Nemo ingenium sine corpore exercebat; optimus quisque facere, quam dicere, sua ab aliis facta laudari, quam ipse aliorum narrare malebat.» Nec vero ullum sibi spatium relinquebant ad ea cognoscenda, quæ ad Deorum originem pertinent, aut ad investigandum aliquid vel de finibus bonorum et malorum, vel de omnium rerum principiis: illud solum iis fuit curæ, quemadmodum et ipsis consulerent Dii et hostibus nocerent, et quomodo omnia ad ipsorum salutem augendam alia ex aliis apta et quasi necessitate nexa viderentur. Itaque, quod testatur fere tota Romanorum historia, iis potissimum fabulis

delectabantur, quæ incremento ipsorum faverent prosperitatemque et magnitudinem rerum portenderent: Romulique post mortem coelo delapsi audita vox, adhortatio quædam virtutum haud parva, per omnia iis subibat sæcula. — Atque ea, quæ ad sentiendi cognoscendique vim ac rationem eorum referrentur, quum ita essent comparata, minime est mirandum, omnia eos sacra, omnes cærimonias ad utilitatis quandam normam esse moderatos. Ac quum prope singulis rebus, singulis actionibus singulos fingerent deos, deducto paullatim populo a prisca illa simplicitate necessariisque artificiis ad pleniorem elegantioremque vitæ cultum, non potuit fieri, quin magis magisque cresceret deorum numerus. Quicquid enim vel in republica vel in vita privata accessit novi, facta sacrorum lacuna est, quam explere pontificum erat; quod fiebat ita, ut aut nova instituerentur sacra, aut officia deorum cujusdam veterum amplificarentur *). Inde orta deorum sacra pæne innumerabilium. Qua tanta in varietate operæ prætium est investigare, si sit aliquod tamquam uberrimi fluminis caput, unde manent omnia quoque referantur. Nimirum illud in omnium gentium historia occurrit, civitatem esse singulis ex familiis repetendam, eique ab illis speciem suam formamque conciliari. Quod quum in omnibus fere reipublicæ partibus, tum præcipue valet in iis, quæ ad cultum deorum pertinent. Potest quidem accidere, ut peregrini nonnumquam adsciscantur ritus; tamen, si quis velit populi alicujus mores penitus cognoscere, repetat altius necesse est atque ex ipsius populi initiis, velut ex primis radicibus, ordiatur. Quid igitur? Quamquam negari non potest, Romanorum sacris posteriore tempore Græcas religiones esse commixtas, nonne

---

*) **Krahner.**

ad rectam horum existimationem necessarium est, domestica illa tentare et exquirere? Ac quoniam, ut supra dictum est, ad harum rerum cognitionem familiarum moribus institutisque nihil gravius fieri potest. Deorum penatium sacra, quæ et publica et privata fuisse constat, haud scio an venæ quasi et viscera apellanda sint omnium sacrorum. De quibus conantibus nobis hoc loco disputare aliquid ita agendum visum est, ut primum reliquo sermoni nostro præmuniremus nonnulla, deinde ea, quæ vel ad originem vel ad cultum pertinerent horum deorum, videremus.

Nihil *) fere tam firmum tamque stabile cogitari potest, quam ea vincula, quibus continebantur apud Romanos singulæ familiæ. Nam ut in

---

*) In hoc opusculo conscribendo, præter ea, quæ antiquis scriptoribus accepta referenda nobis sunt, *Clausenium* potissimum secuti sumus. Qui splendidissimo libro, qui »Æneas und die Penaten« inscribitur, quum omnino in explicandis rebus Romanorum divinis egregie versatur, tum ea, quæ ad Deorum penatium sacra pertinent, tractat copiosissime. — Ex iis, qui ante eum operam aliquam in his rebus consumserunt, ad manum habuimus *Jer. Muellerum*, qui initio hujus saeculi scripsit de diis Romanorum laribus et penatibus libellum. Post *Clausenium* multi: inter quos honoris causa nominandi sunt *Krahnerus* et *Brunerius*. Hic de penatibus Laviniensibus ac de Jove Indigete ita scripsit, ut et doctrinæ copiam ostenderet haud parvam et plurimam his rebus lucem afferret: *Krahnerus* autem in illo, quod ediderunt *Erschius* et *Gruberus*, vastæ magnitudinis opere, omnes artes complectente, accuratam de penatibus commentationem reliquit. Nec obliviscendus est *Scharbius*, qui his proximis annis scripsit de geniis, manibus et laribus, non optimo Latini sermonis usu ille quidem, sed tamen ita, ut in multis probaretur. — Ceterum *Niebuhrium*, *Hartungum*, *Schweglerum*, alios consuluimus.

republica severissimo imperio constricta omnia erant, sic paterfamilias, tanquam reguli cujusdam munere fungens, in omnia familiæ membra dominabatur. Itaque et legibus sancitum erat, ut repudiandæ uxoris jus esset viro, mulieri non item; et in liberos pro arbitrio consulere patri licebat. Idem sacris domesticis præerat. In quibus ea, quæ Vestæ instituta erant, quum et magni essent momenti et aditum ad rem a nobis propositam aperiant, primum breviter attingamus.

Ex iis, quæ fabulis latinis sunt tradita (nam Græca illa plane omittenda sunt ad tempus, quo facilius contingat propriam vim naturamque harum religionum elicere ex iis, quæ fabulis continentur mere Romanis): ex his igitur colligere licet, Æneam non ex Sicilia venientem ad Italiam esse appulsum, sed in Etruria fuisse, sive eorum locorum indigena, sive aquilonari itinere eo venisset. Colebatur autem præcipue Lavinii: ubi sacrificabatur quotannis a consulibus et pontificibus Æneæ Indigeti, cui, postquam Mezentius superatus esset, in Numicio flumine merso, sacellum ab Ascanio filio exstructum dicebatur. Eodem loco et consociata sacra gentis Latinorum, et, ut infra docebitur, sedes Deorum penatium populi Romani. Cum quibus Vesta ita erat conjuncta, ut aut de numero esset eorum, aut certe comes**) eique, pariter atque illis, consules, prætores, dictatores et adeuntes magistratum ab eoque abeuntes sacra facerent*). Quærendum est igitur, quidnam fuerit causæ, cur tantum Vestæ tribueretur. Nimirum ea fuit vis hujus deæ, ut civilis æque ac domesti-

*) Hæc anniversaria sacrificia, priusquam liberæ civitatis forma instituta esset, a regibus videntur esse factitata. »Tatius — Lavinii, cum ad sollenne sacrificium eo venisset, concursu facto interficitur.»

**) Clausen.

cæ societatis tutelam gereret, quum et singula familiæ membra et cives omnes contineret, omniaque, quibus firmarentur hæc, custodiret et conservaret. Quid autem ad hanc rem accommodatius, quam focus et ignis? Nec enim ulla alia re potest consociationi hominum communitatique melius consuli: libertati autem ab aliorum arbitrio quidnam potest favere vehementius, quam si sit copia earum rerum, quæ ad quotidianæ vitæ usum necessariæ sint? Perpetuorum igitur ignium custos Vesta erat *); neque aliud, quam ignis, deæ simulacrum Romæ videtur fuisse **). Ac quoniam præter ignem nulla re minus carere possunt homines quam aqua, et constituendo domicilio deducendæque coloniæ nihil majoris erat discriminis quam fons perennis et in nullo fere populo tantis impensis tantoque apparatu aquarum ductus exstruebantur. Quantum autem valuerint hæc duo, cernitur ex eo vel maxime, quod, si quis in exsilium ejiceretur, interdictio appellaretur ignis et aquæ. Erat igitur et aqua Vestæ sacra fingebanturque ita Vesta virginesque Vestales, ut altera manu simpulum, altera facem tenerent, hisque virginibus curam ignis et aquæ injunxit Numa. Idem docuit, quemadmodum restitueretur ignis, si forte exstinctus fuisset, Romæque fontem Egeriæ populo demonstravit. Jam vero aquam, eamque fluentem ***), ad conspergendum templum Vestæ atque purgandum solebant

---

*) Cic. N. D. II, 27: Vis autem ejus (Vestæ) ad aras et focos.

**) Ovid. Fast. VI, 297:

Esse diu stultus Vestæ simulacra putavi:
Mox didici curvo nulla subesse tholo.
Ignis inexstinctus templo celatur in illo:
Effigiem nullam Vesta nec ignis habent.

***) Tac. Hist. IV, 53: Virgines Vestales (spatium) aqua vivis e fontibus amnibusque hausta perluere.

adhibere: nam hoc templo purgando tota lustrabatur civitas. Hæc lustratio instituebatur a. d. XVII. Kal. Jul. Itaque et priore parte mensis Iunii et tempore matutino ejus diei, quo die futura erat lustratio illa, domesticæ vitæ operam dare religiosum erat *). Atque illa, cujus in purgando templo expressam imaginem videmus, Deæ castitas, quæque virginitate et ipsius et virginum Vestalium significatur, unde eam profectam arbitramur esse, nisi ex ea, quæ in omnibus fere Romanis insita et innata erat morum integritas? Cui quam maxime consentanea erat etiam illa externarum rerum ornata et exquisita mundities **), qua ducti et aquam Deæ sacram esse templumque ejus purgandi causa lauro ornatum voluerunt.

Quid porro simplicius esse potest, quam ea, quæ ex alimentorum copia sacrata Vestæ erant, ea videlicet, quæ in quotidiano victu erant frequentissima? Ex quibus quum pane et sale et piscibus præcipue uterentur Romani, tum oleribus haud scio an nihil simplici vivendi consuetudini fuerit acceptius ***): idque valet non solum in ea tempora, a bonis omnibus

---

*) Hæc a Clausenio uberius explicantur: quem vide.

**) Hanc sexcenties apud Romanos scriptores commendari summisque efferri laudibus, quis est qui ignoret? Licet ex tanta multitudine afferre nonnulla:
Plaut. Men. 2, 3, 4:

Sternite lectos, incendite odores:
Munditia illecebra animo est amantium.

Hor. Epist. I, 5, 7:

Jamdudum splendet focus et tibi munda supellex.

Cic. Off. I, 36: Adhibenda est præterea munditia non odiosa, neque exquisita nimis; tantum quæ fugiat agrestem et inhumanam negligentiam.

***) Hor. Sat. II, 1, 74: donec decoqueretur olus. Ibid. 2, 114:
Videas metato in agello
Cum pecore et gnatis fortem mercede colonum:

desiderata poetarumque celebrata carminibus, quibus nondum a frugalitate illa et parsimonia in summam luxuriam omniumque rerum effusiones recessissent; etiam his posterioribus fuerunt multi, qui modicum rusticæ vitæ tenuemque victum urbanis deliciis anteponerent. Pisces igitur et olera super focum coquebantur in patina seu patella: de qua, quia deorum propria putabatur, non licebat edere *): talis patella, eaque inornata et pura, quum agerentur Vestalia, de more vetusto Vestæ delata fuisse ~~satis probabile~~ videtur **). Piscibus autem deficientibus, satis habere cogebantur, si suppeditaret copia salis panisque ***). Etiam hæc in foco cocta et Vestæ sacra. Nec minus in re divina facienda salem adhibebant farremque Vestales. Sale igitur pisto et aqua liquefacto muries parabatur: de qua re Festum audiamas: »Muri ÷ est, quemadmodum Veranius docet, ea quæ fit ex sale sordido, in pila pisato, et in ollam fictilem conjecto, ibique operto gypsatoque et in furno percocto, cui Virgines Vestales serra ferrea secto, et in seriam conjecto, quæ est intus in æde Vestæ in penu exteriore, aquam jugem, vel quamlibet præterquam quæ per fistulas venit, addent,

---

Non ego, narrantem, temere edi luce profesta
Quidquam præter olus fumosæ cum pede pernæ.

Epist. I, 5, 2:

Si potes Archiacis conviva recumbere lectis
Nec modica coenare times olus omne patella.

*) Cic. Fin. II, 7: Atqui reperiemus asotos primum ita non religiosos, ut edant de patella.

**) Clausen.

***) Hor. Sat. II, 2, 16:

— — Foris est promus et atrum
Defendens pisces hiemat mare; cum sale panis
Latrantem stomachum bene leniet.

atque ea demum in sacrificiis utuntur" *). De farre autem ad hunc usum rite parando ita fere Servius: Virgines Vestales tres maximæ spicas adoreas in corbibus messuariis ponunt easque torrent, pinsunt, molunt, atque ita molitum condunt. Ex eo farre ter in anno molam faciunt, adjecto sale cocto et sale duro" **). Hæc mola salsa, quam vocabant, continebatur salino: quod, ut in foco patellam, sic in mensa positum semper oportebat esse***); in eoque imprimis conspicua erat ea, quæ omnibus in rebus servari solebat munditia †). Quanta autem veneratione hanc rem sint prosecuti Romani, magno documento est quod et moris fuit eorum per mensam jusjurandum facere ab eaque surgere, nisi peracta coena, religioni habitum ††).

His brevi in conspectu positis, proximum est, ut de penu afferamus nonnulla. Nimirum etiam penates sale colebantur et farre, et interior pars ædis Vestæ penus vocabatur: quam appellationem cum nomine horum deorum cohærere manifestum est.

---

*) Fest. ed. Mueller pag. 158.

**) Serv. Virg. Bucol. VIII, 82.

***) Clausen.

†) Catull. XXIII, 19, — purior salillo.

††) Hanc sententiam in medium profert Clausenius, Festum auctorem laudans ita: «Migrare mensa, quod legibus ejus sacra esset diisque templi posita, inauspicatum apud antiquos habebatur». Verum tamen in hac re vereor ne paullulum insit dubitationis. Namque hanc ejusdem loci lectionem affert Muellerus: «Migrare mensa, quæ loco sacro esset disque templi posita inauspicatum apud antiquos habebatur»: quam lectionem quamquam concedendum est posse et ipsam sententiæ Clausenii favere, tamen habet res quiddam incerti et vagi, ita ut aliud quoque ex ea concludi posse videatur.